

RABIT: ASSIDENTEM ENIM ILLAM FORIBUS SUI INVENIET, — *q. d.* Qui manieaverit, qui mane primo diluculo illam quaesierit orando, invocando, meditando, studendo, non laborabit, ut eam inveniat, quia ipsa mane ad se vigilanti assistit et assistet. Nolat matutinum tempus, velut primum et aptissimum, dandum esse sapientiae, id est orationi, studio et rebus divinis, juxta illud *Psalm. LXII, 2*: «Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo»; et *Prov. VIII, 34*: «Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei»: vide ibi dicta. Sed vigilantissimos quosque superat et praevertit vigilantia sapientiae: sic S. Magdalena ante auro-ram vivit ad sepulcrum Christi, ut eum resereret, ideoque prima et ante apostolos eum resurgentem videre meruit.

Pro *assidentem* graece est *ἀσπίζων*, quo nomine philosophi vocabant suos deos et genios familiares: sicut Socrates genium habuit *παιστήριον*, id est assessorum, sic heresiarche habuerunt daemones paretros. Tales quoque habet magi in annulis; ad justorum paretros est Deus, Dei quae sapientia et gratia, qua de re rursum dicitur *cap. IX, vers. 4*.

Narrat Suetonius in *Galba*, *cap. XIV et XVIII*, illi hoc omen, tam adepti, quam adepti imperii fuisse datum: «Somniavit, ait, Fortunam dicentem stare se ante fores defessam, et nisi oculus reciperetur, quicunque obvius praedae futuram. Erigens apertis atrio simulacrum teneum dese, cubitali majus, juxta limen invenit, et in larario collocatum coluit. Longe post moenibus praefissimum Fortunae destinatum, Veneri Capitolinae imposuit. Proxima nocte somniavit speciem Fortunae, querebris fraudatam se dono destinato, miantisque erepturam et ipsam, quae dedisset;» ac paulo post imperio et vita privatus est. Vera sapientia, et fortuna fortunans est Deus, a quo omnis nostra salus et beatitudo proficiscitur: illud ergo se nobis offerentem cupide excipiamus, exceptum constanter teneamus et colamus, ut ille sua bona et dona in nobis conservet, adaugeat et perpetuet in aeternum.

16. COGITARE ERGO DE ILLA, SENSUS EST CONSUMMATUS: ET QUI VIGILAVERIT PROPTER ILLAM, CITO SECURUS ERIT. — Pro *cogitare* graece est *ἀσπίζων* in aoristo, id est *cogitasse*, in animo versasse et voluisse, intellexisse et menti impressisse, ut scilicet illa menti jugiter observetur, ac de ea assidue cogites, unde Noster apte veritatem *cogitare* in praesenti. Adde saepe praeteritum sumi pro praesenti, praesertim apud Hebraeos, qui carent praesenti. Pro *sensus consummatus*, graece est *ἐπιτελής*, id est *sapientiam perfectio* est, vel *prudentialis et intelligentiae consummatio* est, vel *prudentialis perfectio* est, quare perperam Holcot per *sensus*, corporis sensus hic accipit, *q. d.* Sapientia corrigat et perficiat vitam et defectus sensuum corporeorum, puta visus, auditus, gustus, etc.

Sensus ergo primo esse potest, *q. d.* Qui assidue sensum, id est sapientiam et prudentiam, ejusque dogmata et dictamina mente versat, ut ea semper ob oculos habent et juxta ea actiones suas instituat et dirigat, hic perfecte sapiens et prudens est; et qui vigilaverit propter illam, ut sapientiam ejusque praecipita cognoscant monitumque imprimat, hic cito securus erit, *q. d.* *ἀσπίζων* *τοῦτο*, id est *sine cura* (securus enim idem est quod *semetus a cura*) sine sollicitudine erit, indeque hilaris et letus. Nam *secura mens* quasi jure convivium: quia talis sapiens, juxta dictamen sapientiae vitam instituit; unde securus erit, tum a peccato et lapsu, tum a periculis, quae actiones difficiles comitari et subsequi solent; hae enim sapientia praevidet et providet, unde ea vel fugit, vel abigit et propulsat, vel tolerat et fortiter superat. Securitatem ergo et tranquillitatem animo prestat sapientia, cum insipientia et imprudentia mille eis curas, angores, pericula, infelices actionum successus et damna afferat, ut Cantacuzenus. Posset, secundo, planius sic exponi, *q. d.* Perfecite prudens est, qui non de rebus mundi vanis, caducis, evanidis et fluctibus, sed de vera sapientia, quae eum ad virtutem et felicitatem perducat, cogitat et sollicitus est, quomodo scilicet illam adipisci queat. Porro securus erit, quod eam adipiscetur, qui ad eam mane vigilaverit, id est qui eam studioso quaerenti et vestigaverit; inveniet enim eam sibi ulro occurrentem et assistentem, imo praecipientem, ut paulo ante dixit: ita a Castro. Unde Vatablus vertit *nempe de illa cogitare ad sapientiae perfectionem pertinet, et qui vigilaverit propter eam, cito securus fuerit.* Hinc Cicero, teste S. Augustino, lib. I *Contra Academ.* *cap. III*, beatum asserit eum qui studet veritati indaganda, etiamsi eam non assequatur. Multo magis beatus in spe dicendus est, qui in hac vita incipit studere sapientiae et veritati, quae Deus est, cognoscenda, ut in colloquio perfecte videre mereatur, fiatque beatus in re. Tertio, Cantacuzenus sic exponit, *q. d.* Perfecta prudentia et intelligentia est cogitare de vera sapientia discenda et comparanda: sicut enim finis domus est tectum, hoc est, eam tegi contra caeli hominumque injurias; ubi finis est civium salus; medicinae finis est sanitas: sic omnis scientiae et intelligentiae finis est vera sapientia, quae hominem recte vivere docet et ad beatitudinem recta ducit. Quarto, noster Lortius: Post acquirenda facilitatem sapientiae, inquit, felicitatem persequitur in ejus acquisitione; hanc autem est duplex, perfectio intellectus et mentis securitas; sive tum erroris, tum mali exclusio, ita ut falsas evellat opiniones, inflammatae mentis veritatis cognitione, ac demat sollicitudines, et curas inanes expellat.

Ex hisce quatuor sensibus secundus planior et accommodatior videtur, eumque exigit vox *illativa* ergo (licet in Graeco sit *ἄσπίζων*, id est *animi*, sed

72 subinde significat *certe, utique, nimirum, igitur*), quae hanc gnomen cum precedenti colligat, ex eaque educit et colligit, *q. d.* Sapientia adeo prompta et prona est ad se communicandum, ut praecipue sui cupidos, et saepe prior illis ostendat. Ergo cogitare de illa est sensus consummatus, id est perfecta prudentia et sapientia: nam sapientia ex sua promptitudine ulro et illico de se cogitantem occurrat, eumque plenam et perfectam sapientiam edocebit: quare qui vigilaverit ad eam, cito securus de sapientia adipiscenda, deque omni alia cura, et re feliciter conficienda evadet. Hunc esse sensum liquet ex causa, quam Sapiens subdit: «Quoniam dignos se ipsa circuit querens, etc., et in omni providentia occurrat illis.» Est *metonymia*, cogitatio enim et studium sapientiae vocatur *sapientia perfecta*, non consummata, sed inchoative, quia ad eam est via, ad eamque sensum studiosum perducit: verba enim et nomina Hebraeorum saepe actum non perfectum, sed inchoatum significant, sicut jam sapientiam monuit. Porro cogitatio sapientiae inducit sapientiam, quia qui sepe de aliqua re cogitat, illam deamat: sapientia autem amata ulro occurrat amanti, et saepe illi communicat.

Mystice, consummatio sapientiae et securitas mentis est, res divinas diligenter cogitare, meditari, concupiscere, amare; hanc autem sapientiam a Spiritu Sancto progenitam, hanc securitatem a bona conscientia manantem nemo habet, nisi qui charitate erga Deum et proximum pollet.

17. QUONIAM DIGNOS SE IPSA CIRCUIT QUERENS, ET IN VIS OSTENDIT SE ILLIS HILARITER, ET IN OMNI PROVIDENTIA OCCURRIT ILLIS. — Dat causam, cur cogitare de sapientia sit sensus consummatus, et cur vigilans ad illam securus sit futurus, quia scilicet illa dignos se, id est, de se cogitantes, saepe studioso vestigantes, circuit et quaerit, ut ulro «in vis», id est in omnibus vite actionibus, institutis, officiis, tum privatis, tum publicis, ac praesertim in gubernanda republica, hilariter se suaque omnia vis ostendat, et communicet; imo illis occurrat «in omni providentia», *q. d.* *ἄσπίζων*, id est *consilio*, ingenio, solertia, consideratione, excogitatione, inventionem, prudentiam, *q. d.* *Primo*, sapientia mille modos et rationes solerter excogitat et adinvenit, quibus sui cupidos summa cura et providentia occurrat et succurrat. Deus (qui est ipsa sapientia), inquit Nazianzenus, amat amari, quaerit quaeri, sicut sitiri; hinc mille modos adinvenit, quibus animas ad se trahat et convertat. Unde Vatablus vertit, *omnio studio occurrat illis*; Noster vertit, *providentia*, quia sapientiae et prudentiae potior pars est prospicere futura, eaque, si bona sint, accersere; si mala, invertere. Simili modo, sed contrario fine meretrix luxuriae et voluptatis occurrat juveni incauto, illumque suis deliciis inescat, demulat, perdit et necat, ut describitur *Prov. VII,*

13 et sequent. Posset secundo *invocata* referri, non ad sapientiam, sed ad studiosum sapientiae, hinc enim in omni *invocata*, id est *coartatione* et *de liberatione* occurrat, saepeque sicut sapientia, *q. d.* Quandoeumque animus prudens aliquid prudenter et provide cogitat et meditat, ibi statim occurrat sapientia, ipseque Deus: quare saluberrimum est de sapientia, deque Deo et rebus divinis cogitare et loqui, ibi enim illico inserit se Deus, sicut Christus inseruit se discipulis eunti-bus in Emmaus, cum de se loquerentur. Ita Cantacuzenus et Jansenius.

Hic sensus appositus quoque videtur, satsique respondet graeco: «*in omni providentia*, vel, ut nonnulli legunt, *prudentiali occurrat*, respondet *in vis ostendit*: prudentiae enim et providentiae humanae munus est, ut homini prudenter vias, id est, actiones suas naturales, instituerent volenti; saepeque consulenti, suggerat in omnibus rationes et media opportuna, quibus idipsum efficiat. Prudentia vero et sapientia divina, multo magis id praestat in actionibus supernaturalibus et divinis. Omnes haec metaphora significant Deum suam sapientiam (puta sua praecipita et consilia, sua divina lumina) libentissime communicare his qui eam cupiunt, imo ad hae gestire, ut ultronea voluntate, et benignissima liberalitate beneficia sua in cupidos profundat: quare par est ut homines simili voto respondeant et occurrant Deo, ut eam ab illo ardentem postulent et exquirant, uti sponsa quaesivit sponsum dicens, *Cant. III, 2*: «Surgam et circuibis civitatem, per vicos et plateas quaeram quem diligit anima mea:» ita Christum quaesivit Magdalena, ideoque invenit magno suo bono et felicitate. Uterque sensus jam datus, congruus est et connexus: eadem enim est prudentia et providentia, quae ab homine quaeritur consultaturque, et quae homini quaerenti consulenteque occurrat, rationesque prudenter operandi in omnibus rebus, praesertim gravioribus et magis arduis, suggerit. Sapientiam matrem suam imitentur viri sapientes, ut zelum ejus indumentis circumamant quaerentes dignos et dispositos, quibus sapientiam suam communicent, illisque eam ostendant, non tarde, tedrice, morose, sed celeriter, hilariter, juvande («hilarum enim datorum diligit Deus», *II Corinth. IX, 7*): atque in omni solerter illis occurrant et succurrant, ut fecit Christus Dominus, et S. Petrus, S. Paulus, caeterique apostoli et viri apostolici ac religiosi, qui animas ad Dei cognitionem et amorem traducere satagunt.

Symbolice, S. Gregorius, *XXVI Moral. cap. VIII*, per vias accipit creaturas, quibus ascendimus ad creatorem. «In vis, inquit, ostendit se illis hilariter, et omni providentia occurrat illis: vim quippe ad creatorem sunt opera consideratae creatoris, quae dum facta cernimus, potentiam factoris miramur. In istis viis a sapientia omnis nobis providentia occurrat, quia factoris nobis

virtus inquires quædã proponitur in omne, quod mirabiliter factum videtur; et quocumque se vertent anima, si vigilanter intendit, in eisdem ipsis deum invenit, per quæ reliquit, eiusque potentiam ex eorum rursus consideratione cognoscit, quorum amore deseruit; et per quæ perversa cecidit, per hæc conversa revocatur. » Hinc expositioni favet græcum *επιζητησι*, quod Noster vertit *ostendit*, scilicet quasi per visum et phantasma: per phantasmata enim rerum creaturarum mens assurgit ad pure contemplandum earum creatorem, ibique quietem, hilaritatem et omne bonum invenit, ut dicit cum S. Francisco: « Deus meus et omnia. » Nam, ut sapienter ait S. Augustinus, lib. IV *Confes.* x: « Quaquaversum se vertent anima hominis, ad dolores figitur alibi prætèrquam in te. »

18. INITIUM ENIM ILLIUS VERISSIMA EST DISCIPLINE CONSCIENTIA. — Græce, *ἀρχὴ γὰρ αὐτῆς ἡ ἀποστολὴ πνεύματος*, ubi *ἀποστολὴ* tam referri potest ad *ἀρχήν*, id est initium, hucque inclinat articulus *ἡ*, quam ad *ἐπιζητησι*, id est *conscientiam*. Ad *ἀρχήν* referunt Cantacuzenus, Jansenius et Osorius, unde vertunt *initium enim illius verissimum est, discipline conscientia*, q. d. Varia assignari solent initia sapientiæ, sed verissimum ejus initium est conscientia disciplinæ, sive, ut ait Osorius, verissimum sapientiæ fundamentum, illius cupiditate et inflammato desiderio continetur. Noster vero, Vatablus et alii *ἐπιζητησι* referunt ad *ἐπιζητησι*, unde vertunt, *initium enim illius, verissima est discipline conscientia*: probat enim id quod dixit, sapientiam occurrere, imo præoccupare eos qui se concupiscunt, ex eo quod conscientia disciplinæ sit initium sapientiæ: disciplina enim est comes et soror sapientiæ.

Sensus ergo est, q. d. Dixi sapientiam occurrere non omnibus, sed sui cupidis, quia concupiscentia, sive desiderium disciplinæ (quæ parit sapientiam) non quale quale, sed verissimum, id est purissimum, ac plane remotum ab omni simulatione, furo et cupiditate; item verissimum, id est integrum, quod totum sapientiæ incubat, nec ad alia desideranda se distrahat (postulat enim totum hominem) est verum et proprium sapientiæ prædicæ, salutiferæ et divinæ initium. Multi enim concupiscunt disciplinam, ut per eam ad honores, opes et status promoveantur; si non habent concupiscentiam ejus veram et sinceram, ideoque non habent initium sapientiæ. Porro disciplina, ut dixi vers. 12, est castigatio pravarum affectionum et cupiditatum: per hæc enim datur initium sapientiæ et virtutis, si nimirum disciplina concupiscatur verissime, id est, non ambiciose, non curiose, non torpide, non quæstuose, non partite; sed humiliter, candide, ferventer, pie et pure, totaliter et integre. Sicut enim desiderium sanitatis, scientiæ, artis est initium sanitatis, scientiæ et artis: sic philosophia est initium scientiæ, et est, ut dicitur, desiderium sapientiæ,

sive virtutis, magnum est sapientiæ et virtutis principium, juxta illud:

Dimidium facti, qui bene cepit habet:

tum quia, qui vehementer aliquid desiderat, totus in illud incumbit, omnes vires explicat, omnes difficultates subit et superat, tum quia virtus consistit in voluntate, cujus actus est desiderium: quid enim est humilitas, nisi amor et desiderium se demittendi? quid est patientia, nisi amor patiendi? quid charitas, nisi desiderium amandi? Quare quantum, quamque ardens et effloax est in voluntate desiderium virtutis, tanta implicite in ea, tamque ardens et effloax est ipsa virtus; qui ergo in virtute quæpiam crescere sagat, ejus desideria in se ardentia et effloax crebro excitat: sic mirifice in ea proficit. Tantus igitur in virtute es, quantus in ea effloaxiter esse vis: hoc desiderium sapientiæ habebat S. Augustinus, lib. XI *Confes.* cap. ii: « Sint, inquit, castæ delitice mem Scripturæ tue, nec fallar in eis, nec fallam in eis. » Hinc et justificationis initium, et ad illam dispositio est, ut peccator gratia Dei præventus justitiam concupiscat, illamque a Deo postulet, utque Christum velut justitiam fontem diligere incipiat, ait Concilium Tridentinum, sess. VI.

Objicies: « Initium sapientiæ est timor Domini, » *Psalm.* cx, 10: quomodo ergo hic dicitur, quod initium sapientiæ sit disciplina conscientia, respondetur: Timor Domini est disciplinæ conscientia, quia timor hic est amor Dei, qui secum affert concupiscentiam et amorem disciplinæ. Vide dicta *Ecclesi.* i, 16.

Moraliter, hic discio initium et vitam ad sapientiam, id est virtutem et perfectionem, esse ingressus ejus desiderium: audi nostrum Alvarez de Paz, *De Perfect.* in Proem: Sicut summa humanæ mentis perversitas a desiderio mali sumit exordium, quo desiderio animus excitatus et victus malum semel patrat, et ex uno peccato in aliud ruit, quoque ad consuetudinem veniat, et ex consuetudine in cordis duritiem, ac in extremam miseriam cadat: ita ejusdem cordis summa perfectio a desiderio boni incipit necesse est, quod desiderium vires accumulans, et mentem hominis sepe sollicitans in opus prodeat, et ex honorum operum iteratione virtutis consuetudinem pariat, et ex bona consuetudine in amorem boni propter seipsum atque adeo in ipsam perfectionem ascendat. Hoc desiderium est janua, per quam humana mens in sanctuarium, sive in ipsam sanctitatem, ingreditur: est ventus, quo navigium cordis impulsum, a seipso et a rebus terrenis discedit, et felici cursu in puritatem attingit: est primus gradus, quo quis a malo devigat, et sensim paulatimque progrediens, tandem in perfecte virtutis possessione collocatur.

19. CURA ERGO DISCIPLINÆ, DILECTIO EST ET INLECTIO, CUSTODIA LEGUM ILLIUS EST: COSTODITIO AP-

INCORRUPTIONIS EST. — Ex eo quod dixit sapientiam occurrere iis qui se cupiunt, commendat cupiditatem sapientiæ, et in ejus laudes excurrit, atque per gradationem et sortem, id est, acervalem syllogismum, ejus dotes et fructus eximios enumerat. Pro ergo græce est *ἡ*, id est *autem*, vero, ut gradatio incipiat vers. præced. q. d. Initium sapientiæ est disciplinam concupiscentia: concupiscentia autem disciplinæ, ejusdem parit curam et sollicitudinem; cura parit dilectionem, dilectio custodiam legum, hæc incorruptionem, que facti proximum esse Deo per regnum æternum quod disciplinæ, sive sapientiæ, cupido affert. Aut, ut noster a Castro, q. d. Verissimum initium sapientiæ est ejus cupiditas; cupiditas curam auget, cura amorem, amor ad observantiam legis animam accendit; porro observantia divinæ legis certum reddit hominem de futura incorruptione; incorruptio vero ad Deo fructum perducit: cupiditas ergo sapientiæ deducit ad Dei regnum.

Verum, quia non dicit Sapiens: « Concupiscentia disciplinæ est cura disciplinæ, » sicut dicit: « Cura disciplinæ dilectio est, et dilectio custodia legum illius est, » etc., hinc Noster aptius censuit hic inchoandam esse gradationem, atque concupiscentiam disciplinæ esse eandem cum cura disciplinæ: qui enim aliquid concupiscit, curat et sollicitus est, ut idipsum assoquat. Unde pro *ἡ*, id est *vero*, vertit *ergo*, quæ sæpe est particula non illativa, sed sermonis inchoativa, idemque valet quod *itaque*. Idem valet subdite græcum *ἡ* et latinum *vero*, ut scilicet sit particula non adversativa, sed expletiva vel ornativa; unde Terentius in *Euncho*:

Id vero, inquit, quod ego puto mihi palmarium Me reperisse:

tubi Donatus: Nisi, inquit, ornativum esset vero, nihil significaret. Sensus ergo est, q. d. *Initium sapientiæ*, et consequenter felicitatis omnisque boni, est concupiscentia sive cura disciplinæ. Ostendit deinde idipsum per partes gradatim scandendo usque ad regnum æternum, atque: *Cura ergo disciplinæ, etc.*, q. d. Itaque concupiscentia sive cura disciplinæ est dilectio, id est conciliat dilectionem, sive charitatem: quantum enim per disciplinam et castigationem reprimatur et decrescit cupiditas, tantum dilatat et accrescit charitas, adeoque plena charitas est nulla cupiditas, ait S. Augustinus. *Dilectio vero custodia legum illius est*, id est charitas impellit, suadet et efficit custodiam legum: qui enim Deum amat, utique ejus mandata custodit, sicut qui amat regem, ejus jussa exsequitur; et qui diligit amicum, ejus voluntatem explat.

COSTODITIO (græce, *σπουδή*, id est *attentio*, diligens auditio, et accurata diligentia ad leges Dei, quas audivimus et cognovimus, custodiendas atque observandas) AUTEM LEGUM CONSUMMATIO

(græce, *ἐκείνων*, id est *confirmatio*) INCORRUPTIONIS EST. — S. Athanasius, *De Incarnat.* *Vero, attentio et observatio legum stabilitate est immortalitatis*; Vatablus, *observatio legum, integritas, vel immortalitatis, constitutio est*, id est statumen, basis et firmamentum est. Incorruptio hæc vel integritas, tum generatim pro virtute et puritate accipi potest, q. d. Custodia legum facit, ut homo sit integer et perfectus secundum omnes virtutes, omniumque virtutum leges et prescripta, ita Hugo; tum proprie pro castitate, q. d. Custodia legum affert castitatem (hæc enim una est ex legibus a Deo sancitis, et cæterarum legum decus et complementum), que facit ut homo sit integer et incorruptus, tam mente quam corpore. Unde Climachus, gradu 13, et Basilius, lib. *De Virginit.*, docent castitatem esse virtutem, quæ homines faciat angelos, illamque esse, tum semen, tum tyrum futuræ incorruptionis in gloria celesti, imo illam homini indere similitudinem Dei integri et incorruptibilis, quantum fas est mortali, mente æque ac corpore Dei assimilari; unde sequitur: « Incorruptio autem facit esse proximum Deo. » Hinc et multorum multarumque virginum corpora post mortem incorrupta manserunt, et ætiam manent. Hinc rursum ex Græco veritas, *custodia legum est firmamentum immortalitatis*, quia sicut violatio legis de non comedendo poma vetito facta ab Adamo, fuit causa corruptionis et mortis, tam ejus, quam posterorum omnium: sic custodia legum est causa incorruptionis et immortalitatis, quia illam meretur consequi in futura resurrectione: ita Lyranus et Dionysius.

Nota, omnes hæc gradationes et gnomo in sensu, non formali, sed causali explicandæ sunt: non enim custodia legum est consummatio incorruptionis et immortalitatis formaliter, ut patet; sed causaliter, quia scilicet eam causabit, ac plenam et consummatam immortalitatem beatis afferet in celo; hinc Clemens Alexandrinus, lib. VI *Strom.*, paraphrastico sic vertit, vel potius explicat, *ergo dilectio cognitionis facit alienum ab interiori, et eum qui est regalis prope Deum extollit*, pro quo Noster vertit:

20. INCORRUPTIO AUTEM FACIT ESSE PROXIMUM DEO. — Græce, *incorruptio autem facit esse prope Deum*, id est proxime Deo, sæpe enim positiva pro superlativis usurpantur; Syrus, *veritas, qua non corrumpitur, et opus quod est sine corruptione, appropinquat ad Deum*; Arabicus, et privatio tentationis ponit hominem proximum Deo; Arabes *temptationem* vocant omne malum, omnem corruptionem. Pergit in gradatione, q. d. Integritas mentis, quam affert custodia legum, facit ut homo sit similis Deo per gratiam et sanctitatem, eademque faciet ut homo sit Deo similis in celo per immortalitatem et gloriam, juxta illud, et *Johan.* iii, 2: « Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, » visio enim Dei hæc debuit, facietque ei similes. Unde S. Irenæus

lib. IV *Contra haeres.* cap. LXXV: « Visio Dei, inquit, effeax est incorrupte; incorruptela vero proximum facit esse Deo; » qui et paulo ante: « Subiectio Dei, inquit, incorrupte perseverantia est; incorruptela autem gloria infecti, » *q. d.* In corruptio est dos et gloria propria Deo, qui non est factus, sed per se semper exsistit; a quo eandem participant justi et beati, illi plane subiecti et uniti: esto enim damnati sint futuri quoque immortales, tamen erunt in perpetuis tormentis; unde erunt corruptibiliter incorruptibiles, et mortaliter immortales. S. Bonaventura per *incorruptionem* accipit virginatam, haec enim facit integros mente et corpore, ac proximos Deo, imo castas animas facit sponsas Dei; unde virgines proxime sequuntur Agneum quocumque ierit, *Apoc. XIV, 4.* Verum haec partialis est incorruptio; totalis vero est custodia legum, quae competit omnibus iustis. Huc facit illud Plinii in *Panegyrico Traiani*: Nil praestabilius aut pulchrius decorum, quam castus et sanctus, et diis simillimus princeps; et illud, quod scribit Plutarchus, lib. *Quod cum principe philosophandum sit*, Sinoem esse Jovis discipulum: « Non enim, inquit, privatos homines, vel otiosos deorum voluerunt esse discipulos, sed reges, qui sapientiam et virtutes animi consecuti, ea essent ad utilitatem omnium conversuri. »

Huc quoque facit illud Aristotelis, *X Ethic.* cap. VIII: « Qui mente operatur, et eam colit, disponit optime, is et amicissimus diis immortalibus esse videtur: nam si dii curam humanarum rerum, ut existimatur, aliquam habent, rationi sane consentaneum fuerit, ipsos eo gaudere quod est optimum, maximeque sibi cognatum; hoc autem fuerit ipsa mens; et in eos, qui maxime hoc amant atque honorant, beneficia vicissim conferre, tanquam curam habentes eorum quae sibi sunt chara, ac diligentiam adhibentes, et recte beneque agentes. At constat haec omnia maxime sapientium inesse; amicissimus igitur sapiens ipse diis immortalibus est: eundem autem conveniens est et felicissimum esse: quare sapiens hoc quoque modo maxime fuerit felix. »

21. CONCUPISCENTIA II QUAE SAPIENTIA DEDUCIT AD REGNUM PERPETUUM. — Hic est clausula et culmen gradationis, atque sortis, *q. d.* Concupiscentia disciplinae, et illi conne re sapientie, facit incorruptos et proximos, imo similes Deo per gratiam et gloriam, itaque tribuit eis regnum Dei perpetuum, eosque facit reges caelestes et aeternos: hoc enim regnum debetur, ac paratum et promissum est sapientibus, id est iustis, qui custodiunt legem, ac per integritatem vitae proximi sunt Deo, hoc enim ut notum Sapiens hic subaudiendum relinquit. Quis ergo non concupiscat, quis non ambiat sapientiam, id est virtutem et sanctitatem, quae sui studiosos adeo beat, exultat, glorificat? Noster a Castro censet hic agi de regno terreno, non caelesti, idque probat ex

versu sequenti. Verum esto superficie tenuis haec gnome accipi possit de regno terreno, quod longævum et per multa secula propagatum prostat sapientia, uti praesitit Davidi, tamen plene et perfecte accipienda est de regno caelesti: hoc enim solum est perpetuum, facitque beatos, incorruptos, immortales et proximos Deo; haec enim *perpetuum* non sit in Graeco, tamen satis ex sequenti versu intelligitur; unde illud legitur S. Augustinus in *Specul.*, Cantacuzenus et alii: nam regnum, non tantum terrenum, ut valet a Castro, sed etiam caeleste promittit Iudaeis in Veteri Testamento liquet ex cap. v, vers. 17: « Hic accipiet regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini; » et clarius *Daniel*, cap. vi, vers. 27: « Regnum autem et potestas, et magnitudo regni, quae est subter omne caelum, datur populo sanctorum Altissimi, cuius regnum, regnum sempiternum, » etc.

Similem gradationem et sortem per similes gnominum et premiorum, velut annulos conuicium et concatenatum videre est in Codicis legum Visigothorum, lib. I, tit. II, cap. vi, qui annexus est Cassiodoro: « Sicut modestia principum, inquit, temperatio est legum: ita concordia civium, victoria est hostium. Ex mansuetudine etiam principum oboritur dispositio legum; ex dispositione legum: institutio morum; ex institutione morum, concordia civium; ex concordia civium, triumphus hostium; sicque bonus princeps interna regens, et externa conquirens, dum suam pacem possidet, et alienam litem abruptum, ex lebratur et in civibus rector, et in hostibus victor; habiturus post labentia tempora requiem sempiternam; post luteum aurum, caeleste regnum; post diadema et purpuram, gloriae coronam. Quin potius nec deficiet esse rex: quoniam dum regnum terrenum relinquit, et caeleste conquiret, non erit amisisse regni gloriam, sed anxiosa. » hoc enim omnibus votis optandum et orandum est regibus, ut cum S. Ludovico de regno isto terreno et caelesti ad caeleste et aeternum transferantur: omnis enim gloria regni terreni instar umbrae pertransit, et instar fumi statim evanescit.

22. SI ERGO DILECTANTINI SEDIGES (thronis regalibus) ET SCPTIS, O REGES (graecae, et tyranici) POPULI, DILIGITE SAPIENTIAM, ET IN PERPETUUM USURATE. — Pro diligite, graecae est *καταστήσατε*, id est honorate, in pretio habete, raram et charam dicitur. Pro *scptis* S. Augustinus in *Speculo* legit, *stematibus*; S. Bonaventura, *schematibus*, sed perperam. Sensus est, *q. d.* O reges, si regnum et regnare vos delectat, diligite sapientiam, ut sapienter, id est aequae, iuste et probe, regnum administratis: sic enim regnabitis in saeculum, ut habent Graeca, id est longævum et diuturnum vobis durabit regnum in terris, atque ex eo ad regnum in caelis aeternum transferemini. Quid enim vobis proderit, ait Cantacuzenus, si a solo

non ad caelum, sed ad oceanum gehennae, si a purpura ad ignem, a sceptro ad vincula, a corona ad angustula inferorum traducamini? Quid profluit Salomoni tanta regni opulenta, majestas et gloria? imo quid non obfuit, cum ei sapientiam excoerisset, eumque feminarum et idolorum mancipium fecerit, ut iure de ejus salute dubitaret? Audiant ergo omnes S. Gregorium, hom. 43 in *Evang.*: « Si ergo, fratres carissimi, vere esse divites cupitis, veras divitias amate; si culmen veri honoris queritis, ad caeleste regnum tendite; si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna angelorum curia adscribi festinate. »

Item compellat et adhortatur reges et principes ad studium sapientiae, id est prudentiae et virtutis, ex eo quod sapientia regnum stabiliat et perpetuat: hinc liquet librum hunc maxime ad principes spectare, et sic scriptum et dictum esse. Assignat ergo hic veram rationem et modum regni accipiendi, administrandi, conservandi et propagandi, nimirum sapientiam, id est justitiam et probitatem; cuius reges admonet solum iudiciarium et sceptrum, quod iustitia est typus et symbolum: sceptrum enim primitus erat baculus, vel virga recta; unde hebraice vocatur *קנה*, id est *virga*, baculus, vel pedum pastorum, ut significetur regem esse pastorem populorum, ut ait Homerus, ac proinde eadem equitate, benignitate, cura et vigilantia debere regere populum, quae pastor regit oves. Porro baculus hic olim vere, deinde auro ornabatur, non ad severitatem, sed ad firmitatem et duracionem, ut ostendit noster Martinus de Rea, lib. II *Sigill.* cap. v. Idem significat pedum pastorale, quo utuntur omnes episcopi, excepto Pontifice, qui universalis est omnium pastor. Pedum, inquit Paulus jurisconsultus, est pastoralis baculus incurvus, ita dicitur, quia illo oves pedibus comprehenduntur. Baculum habet episcopus, ait Beala, in *Collect.*, ut subditos regat, infirmos sustineat. Consecrans episcopum, tradit ei pedum, dicitque, ut habet Ordo Rom.: « Accipe baculum pastoralis officii, potestatem ligandi atque solvendi, et sis in corrigendis vitis perseverans, iudicium sino ira tenens, in fovendis virtutibus audientium animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens; » vel, ut in eodem libro: « Accipe baculum sacri regiminis sigillum, ut imbecilles consolides, titubantes confirmes, pravos corrigas, rectos dirigas in viam salutis aeternae, habeasque potestatem erigendi dignos et corrigendi indignos cooperante Domino nostro. » Hinc carmen de pedo, ejus tres partes, tria quoque officia significans:

Curva trahit, quos recta regit, pars ultima pugnit.

Vide Joannem Stephanum Durantum, lib. II *De Ritibus Ecclesiae*, cap. IX, num. 38 et seq., et Josephum Stephanum, lib. *De Potest. Pontif.* cap. VII, num. 5.

Huc facit sapientia emblema: sapientia enim pingitur ut heroina, dextra librum tenens, sinistra sceptrum; liber notat studium quod acquiritur sapientia: sceptrum notat honores et imperium, quos ipsa confert; unde Cicero, lib. I *De Orat.*, et in *Tuscul.* exclamat: « O vite philosophia dux! o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti. » Aristoteles, lib. I *Rhetor.*: « Saperi, inquit, est quiddam aptum ad imperandum. » Vespasianus imperatoris, teste Philostrato, lib. V, cap. x et xi, hoc erat votum: « O Jupiter, da ut sapientibus imperem, et mihi sapienter! Quocirca sapientibus viris fores patere volo. » Seneca, *epist.* 108, scribit de Attalo preceptore suo: « Ipse se regem esse dicebat, sed pliusquam regnare mihi videbatur, qui liceret consuecum agere regnatum. » Plutarchus, lib. *De Iside*, tradit *Egyptio* solere regem eligere ex sacerdotibus ob sapientiam, vel militibus ob fortitudinem; sed hos sacerdotibus operam navasse, ut discerent sapientiam. Platonis nota vox est: « Florent et felices forent civitates, si aut philosophi imperarent, aut imitatores philosopharent, » ut fuit Antoninus imperator, idecirco cognominatus Philosophus, cuius etiam scripta philosophica exstant. Theodosius imperator Arcadium et Honorium filios suos in disciplinam dedit Arsenio, sapientia et sanctitate celebri; quin et Philippum rex Alexandrum Magnum filium suum erudiendum tradidit Aristoteli. Denique ipsa sapientia palam proclamatur: « Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt. » *Proverb.* VIII, 13. « Philosophia, ait Cicero, omnia quae cadere in hominem possunt, subter se habet, caque casus contemnit humanos. » Unde Diogenes rogatus: « Quid ei philosophia boni contulisset? » respondit: « Hoc, ut comparatus sim ad omnem fortunam. » Et Dionysius tyrannus, regno Siciliæ pulsus, rogatus: « Quid honi et Platone ejusque philosophia hausisset? ut arguo animo, ait, hanc fortissime commutationem feram: ipsa enim docet animo et passionibus imperare et dominari; » quocirca Zeno dicebat sapientes philosophos, non tantum esse liberos, sed et reges. Cum Cyrus filium Cambysen designaret imperii successorem: « Tu, mi Cambyses, dixit, scire volo, non aurum hoc sceptrum esse, quod regnum tibi concessit; sed amici fideles regibus et verissimum et utilissimum sceptrum sunt. Id negari non potest; ad multo melius ab ipsa sapientia prosidium est, per quam reges regnant. » Ita Xenophon, lib. VIII *Cyropædia*.

Porro, quantum sapientia, id est probitas, pietas, piaque parentum educatio, regales familias prolesque illustret, ac honoribus, opibusque, ut regnis aequae ac sanctitate et meritis adaugeat, in iscuere stabiliat et confirmat, liquet ex familia

Caroli Magni, quae continuos per multa saecula duces, regesque protulit, rerum gestarum gloria in caelo aequae ac in terra conspiciunt, idque ex pia institutione S. Modibaldi archiepiscopi Trevirensis, et S. Arnulphi episcopi Metensis, a quibus prognata descendit: nam ista S. Modibaldi soror, pietate praestans, nupsit Beato Pipino primo Brabantiae duci, qui Dagobertum regem Francorum, ejus domui praerat, in luxuriam effusum, reprehendit, refranavit, ac ad vitam castam proamque reduxit; unde haec Pipino dantur elogia in Vita S. Modibaldi: « Pipinus probatissima vite fuit, ac purissimae famae, sapientiae domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum, controversiarum finis, munimentum patriae, deus curiae, via ducum, et disciplina regum. » Eo vite functo, uxor ejus B. Itha a S. Amando sacrum velum, sanctaeque religionis habitum suscepit, in eoque sanctae vitam finivit. Horum proles fuerit due filii, S. Gertrudis monasticam aequae ac mater professa Nivelis in Brabantia, ubi etiamnum religiose colitur, ac beata Begga, quae nupta Ansigiso, S. Arnulphi Metensis episcopi filio, ex eo genitum Pipinum secundum, qui Theodoricum, regem Francorum, praelio superavit. B. Begga, mortuo marito, monasterium Andanense construxit, in eoque monasticam professa, meruit in Catalogum sanctorum referri; unde dies ejus natalis in Martyrologio recollitur die 17 decembris. Pipini secundi filius fuit Carolus cognomento Martellus, eo quod Saracenos instar mallei contuderit; unde ejus elogium celebratur: « Nolo regnare, sed volo regibus imperare. » Martelli filii fuere B. Carlomannus, qui, relicto ducatu, monasticam vitam amplexus in Monte Cassino, humilitatis religiosae exemplo praefulsit; et Pipinus tertius cognomento Brevis, qui merito prudentiae suae et virtutis, acclamantibus ducibus et populis, a Stephano Papa creatus et coronatus est Francorum rex, anno Domini 753. Pipinus hic Romanus et Italianus ab Aistulphi regis incursum liberavit. Pipini hujus filius fuit Carolus rerum gestarum gloria Magnus, cui proinde Leo III Pontifex imperii coronam imposuit. Carolus successit filius Ludovicus, cognomento Pius. Ludovico successit filius Lotharius (a quo Lotharingia, illi subiecta, nomen accepit), qui augustus imperator, ac paternae religionis heres, post plurima tam sapienter, quam fortiter gesta, regnum filius suis divisit, relictoque saeculo, ac sanctae conversationis habitu in monasterio Prumiensi suscepto, in eodem cursum vitae feliciter consummavit. Haec omnia habent Francorum Annales, ac Vita S. Modibaldi, a Stephano abbate Leodiensi viro gravi graviter conscripta, quae exstat apud Surium, die 12 maii. Hosce velut avos et avos imitentur Galliae reges et principes, ceterique omnes, si regnum perpetuare, ac justitiam et probitatem republicam efflorescere peroptant; erudiant horum exemplo sapientes, qui judicant ter-

ram. Fusius haec narraui, quia, ut ait S. Hieronymus: « Vita sanctorum est interpretatio Scripturarum. »

23. **DILIGITE LUMEN SAPIENTIAE, OMNES QUI PRÆESTIS POPULIS.** — Haec gnome non est in Graecis codicibus, sed Latinis omnibus. Hinc veteres clypeum rotundum dicebant Palladii, quod significabant orbem totum regi a sapientia: sapientia enim pressae erat Pallas; unde Martianus Capella de Pallade canit:

Hinc tibi dat clypeum sapientia, quod regat orbem.

Ha Pierius, Hierogl. XLII, cap. XLII. Dictum est vetus: « Romanorum clypeus fuit Fabius Maximus, gladius vero Marcellus. » Porro principes sunt doctores et ductores populi; quanta ergo eos luce sapientiae pollere oportet, ut omnes sua doctrina, sanctaque vita illuminent; unde ab Isaia, cap. xxxiii, vers. 10, vocantur oculi: « Misericorditer, inquit, vobis Dominus spiritum saporis, claudit oculos vestros, prophetas et principes vestros. » Quocirca principes oratione se adstant, ac cum Salomone a Deo sapientiam postulante, ac in dubiis ad Deum recurrant: in oratione enim Moses luce Dei afflatus cornua, id est lucis faciei affixos, accepit, Exod. xxxiii, 30. Quin et Augustus Caesar, inquit Suetonius, cap. lxxxix. Vita ejus: « Oculos habuit claros ac nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse quiddam divini vigoris; gaudebatque si quis sibi aeriis contuenti, quasi ad fulgorem solis vultum submitteret. » Tiberius quoque Augusti successor, ut ait Suetonius, cap. lxxviii. Vita ejus: « Praegrandibus fuit oculis, et qui (quod mirum esset) noctu etiam et in tenebris viderent, et eum primum a somno patuissent. » Haec est claritas oculorum corporis, sed illi praestat fulgor oculorum mentis.

Sapienter S. Thomas, lib. III De Regimine principum, cap. iii, regem comparans angelo primo, qui proxime a Deo illuminatur, et ceteros illuminat: « Irradiationis jam dicte, inquit, ad bonum regimen necessariae et in principe et in subditis, motum circularem cognoscimus rectum et obliquum. Motus rectus ideo dicitur, quia fit per divinam illuminationem super principem ad bene regendum, et a principe in populum mentis principis. Sed obliquus est, quando per divinam illuminationem sic subditos regit, quod virtuosos ipsi vivunt, et insurgit in eis divina laus et gratiarum actio, ut sit quasi quadam aerealis figura ex chorda recta et areo obliquo. Sed circularis motus divinatorio radiorum dicitur, quando divina illuminatio irradiat principem, et a principe subditum, ex qua quidem elevatur ad Deum contemplandum et diligendum; qui ideo circularis motus vocatur, quia est ab eodem in idem: nam a Deo in principem, ab hoc in subditos, ab his ad Deum redit. » Denique quam sapientia necessaria sit principi, praclare docent Plato, lib. V

De Republica, Stoebus, serm. 46, qui est de regno, Lipsius, I Polit. cap. x, Tiraquellus, lib. De Nobilit. cap. v, et noster Pineda, lib. VII De Rebus Salomon. cap. ix.

24. **QUID EST AUTEM SAPIENTIA, ET QUOMODUM FACTA SIT REFRAM: ET NON ABSCONDAM A VOBIS SACRAMENTA DEI, SED AB INITIO NATIVITATIS INVESTIGABO, ET PONAM IN LUCEM SCIENTIAM ILLIUS, ET NON PRÆTERIBO VERITATEM.** — Hucusque fuit parenthesis sive adhortatio ad sapientiam, nunc ejus originem, naturam et dignitatem, modumque eam assequendi describit, quasi dicat: Haecenus omnes adhortatus sum ad sapientiam, nunc ut efflicere adhortatio ad sapientiam, nunc ejus originem, naturam et definitionem; quidnam scilicet sit sapientia, quomodo facta, graece, *ἐπιγινωσκω*, id est orta sit, tum in se ex Deo, idque praecipue; tum in me, id est quomodo ego eam adeptus sum per orationem. Loquitur auctor in persona Salomonis, ut patet capite seq. vers. 3.

ET NON ABSCONDAM A VOBIS SACRAMENTA DEI. — Graece, *mysteria*, et: Dei non est in Graeco, sed intelligitur: mysteria enim propria sunt Dei, praesertim origo sapientiae, haec enim ab aeterno in Deo abscondita, ab eo in tempore hominibus revelata fuit, juxta illud Job. xxviii, 20: « Unde ergo sapientia venit? et quis est locus intelligentiae? Abscondita est ab oculis omnium viventium, etc. Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius. » Idem videre philosophi, nam Plotarchus, lib. De Isid. narrat templo Minervae, quae dea credebatur sapientiae (in cujus capite et gleba sphinx visebatur, teste Pausania in Attica; sphinx autem implicatarum et abstrusarum rerum erat symbolum), hoc emblema fuisse inscriptum: « Ego sum omne quod existit, est, et erit, neumque velum nemo adhuc mortalium revelavit. » Additque Deum ab Aegyptiis nuncupatum Anum, vel Anonem, id est occultum, eoque nomina ab eis invocatum, ut se revelare dignaretur.

SED AB INITIO NATIVITATIS (graecae, *γεννησθαι*, id est generationis et originis, tum meae, ut volunt Hugo Lorinus, tum potius ipsius sapientiae, ipsam) INVESTIGABO; — unde Vatablus, sed a prima origine cognationem ejus investigabo; id facit cap. sequenti, ubi narrat originem sapientiae, tum in se, quod scilicet orta sit ex Deo vers. 25; tum in Salomone, qui ibidem vers. 1 et seq., operose narrat exordia nativitatis suae, atque ex ejus ignorantia, tenebris et serumnis, ascendisse se ad invocandum obtinendamque sapientiam commemorat.

ET PONAM IN LUCEM (graecae, *ἐπιφανεῖν*, id est in perspicuum) SCIENTIAM ILLIUS (Vatablus, palam faciam cognitionem ejus), ET NON PRÆTERIBO VERITATEM. — non parcam veritati, nec eam celabo ex invidioso pravio affectu, ut sequitur, sed candidè et liberaliter omnibus communicabo. Mystice, de nativitate Christi haec accipit Phoeadius in Gallia episcopus. lib. Contra Artanos, tom. V

Bibliothecae, ubi cum docuisset a Spiritu Sancto nobis revelari Filium, omnemque veritatem, adiecit: « Etiam Spiritus notitia et veritatis, per quem Salomon de Dominica nativitate, Sapient. vi, 24: Quid sit, inquit, sapientia et quomodo facta sit referat, et ab initio nativitatis investigabo eam (unde ipse inferit): Ergo per eundem Spiritum possumus invenire, quod quaerimus. »

25. **NEQUE CUM INVIDIA TABESCENTE ITER HABEO: QUONIAM TALIS HOMO (invidus) NON ERIT PARTICIPE SAPIENTIAE.** — Unde liquet: tabescente non referri ad: invidia, sed ad hominem invidum, q. d. Nulla mihi sit communicatio, nullum consortium cum invidio, qui ex invidia sapientiam celat, eamque aliis invidet: hic enim nequit participes vel capax esse sapientiae, quia invidiosus livor eum excecet et obnubilat, ut sapientiam, quae benevola est suique communicativa, cernere non possit; qua de causa ipsa sapientia fugit invidum et malevolum, juxta illud cap. i, vers. 4: « In malevolam animam non introibit sapientia; » quia sapientia haec est ipsa sanctitas, bonitas et charitas, cui ex diametro adversatur invidia. Unde Vatablus vertit, neque vero tabido invidio concessero, qui non potest sanum habere de sapientia iudicium, hoc est, ut ait Noster a Castro, non imitator invidia tactum, ne communicem sapientiam; non versabor, nihil commune habeo, nec cura eo agam qui invidia tabescit; quo verbo natura livoris et invidiae significatur, nam

Livor, tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas:

sapientia enim se omnibus communicat, quia « sapientia abscondita et thesaurus invisus, quae utilitas in utroque? » Eccl. xx, 32; et veteres aperiens dixerunt Musarum fores, quoniam dona Dei candidè ac liberaliter sunt communicanda. Hinc et Plato asseruit invidiam procul esse a Deo, et a choro divino; atque eum de more secutus Philo, lib. Quod omnis probus sit liber: Sapientia, inquit, cum nihil ea sit divinius, et magis expositum, nunquam claudit suum auditorium, sed patentibus januis admittit sistentes. Id secutus Salomon, cap. seq. vers. 13, ait: « Quam sine fictione didici, et sine invidia communico, » in stat solis, qui omnibus lucis suae radios imperfit.

26. **MULTITUDO AUTEM SAPIENTIUM, SANITAS (graecae, *σωτηρία*, id est salus) EST ORBIS TERRARUM: ET REX SAPIENS, STABILIMENTUM POPULI EST.** — hoc est, firmus et stabilis populi status consistit in prudentia regis: dat causam, cur nolit rex habere cum invidis, nec eos imitari, qui sibi soli volunt sapere, eaventique ne nulli eis in sapientia evadant similes, quia scilicet optandum est multos esse sapientes; horum enim multitudo *sit sanitas*, id est salus orbis terrarum, quia sapientes sua doctrina sanctaque vita, omnes ad virtutem et salutem perducere satagunt; quare rex sapiens est stabilimentum, id est basis et coecumen populi,

quia cum in omni virtute et bono erudire, conseruare et promouere satagit. » Non ait Scriptura, inquit S. Augustinus, lib. IV *De Doctrina Christiana*, cap. v, multitudine *elegantiam*, sed *sapientiam*, zantias est orbis terrarum; » addit tamen S. Augustinus: « Sed salubri suauitate, vel suavi salubritate quid melius? quanto enim magis illic appetitur suauitas, tanto facilius salubritas prodest. » Quocirca Carolus Magnus instaurans per totam regnum suum studia litterarum, exclamavit: « O utinam habere duodecim clericos ita doctos et omni sapientia instructos, uti fuere Hieronymus et Augustinus! » Cui subindignans Albinus Flaccus Caroli magister: « Creator celi et terre, inquit, similes illis plures non habuit, et tu vis habere duodecim? » Ita refert Saugallensis, lib. I *De Gestis Caroli Magni*.

Porro vox *santitas* et *salus* significat sapientem esse medicum, qui curet aliorum infirmitates; unde S. Basilus, *regul.* 30, inter fusius disputatas, cum quaesisset, qua animi affectione superior aliorum curam suscipere debet? respondet: « Ut qui caucis nullis ministrat, et sanicem de singulis illorum vulneribus abstergit, et pro natura unicuiqueque mali remedia ei adhibet accommodata; munero illo neutquam ad animarum elationem uti conuevit, sed ad demissionem potius et sollicitudinem et maiorem quamdam curam; iidem, ac multo etiam magis, is, cujus totius fratrum societatis sanando provincia est delegata, perinde ut qui omnium minister sit, et rationem de unoquoque illorum redditurus sit, secum agitare animo, et contendere anxie debet. » Cantacuzenus exemplum dat Mosen, qui stetit in confectione, et Deo volenti ob adoratum vitulum perdere populum restitit, eique veniam et salutem impetravit, *Exod.* xxxi, et Zorobabel, qui populum e captiuitate Babylonica in patriam et libertatem reduxit. Audi S. Gregorium, IX *Moral.* cap. x: « *Sub quo curuantur, qui portant orbem*: ipsi etenim orbem portant, qui curam presentis seculi tolerant: tantorum quippe pondera unusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur; unde et terra princeps, non incongrue graeco eloquio *εξανθε* dicitur: *εξ* enim *ποπυθ* interpretatur: *εξανθε* igitur *εξ* *αυθ* vocatur, quod latina videlicet lingua *basis populi* dicitur: quia videlicet ipse super se populum sustinet, qui motus illius potestatis pondere fixus regit: quo enim subiectorum suorum onera tolerat, eo quasi superpositam columnam basis portat. »

Talis fuit Amalasantha (quae vox gothice et belgice *caeli filium* significat), Theodorici regis Gothorum ariani et impij catholicae et pia filia, patri, deficiente prole masculina, in regno Italia succedens, quae mira sapientia et probitate illud administravit, ac Symmachi et Boetii (quos pater iniuste occiderat) liberis bona restituit, Athalaricum filium suum bonis ac doctis magistris insti-

tuendum tradidit; sed obstiterit Gothi, qui gothice barbarie iactabant litteraria cultura effeminari animam, ad timorem traduci, ablucei ab armis et blandi audacia, quod rex, qui ferat in magistri timere didicisset, multo magis glad os et tela hostium expavesceret. Quibus illa licet inuicta cessit, sed magno filii et Gothorum malo, uti exitus declarauit. Ita Procopius, lib. I *Bel. Goth.*, et Baronius ad annum Domini 336, sub Justiniano imperatore: huic enim coeua et confederata fuit Amalasantha. Ludouicus XI, Galliae rex, Carolum filium omnium experient artium voluit, ne esset in capiendis consiliis refractor, tenetiorque sensus sui, et sane id accidit, nam jam regem vilesiani duo tresve homuli, huc illic magna eum subditorum indignatione damnose circumuegerunt; erravit ergo, vera enim philosophia, testa Platone, docilis est et sanis consiliis obsequens, adeoque acute inter consilia et consiliarios discernere novit, ut sciat quae proba sint, quae improba, quae sana, quae noxia; qui privatam commodum spectent, qui publicum.

Rursum hujus sententiae clarissimum est exemplum in Sodomis, quibus pepercisset Deus, si in eis inuenisset decem justos, *Genes.* xviii, 32. Vide S. Ambrosium, lib. I *De Abraham*, cap. v: « Propter paucorum iustitiam, inquit, impunitatem toti populo promittit. Unde discimus quantus murus sil patriae vir justus, quemadmodum non debeamus invidere viris sanctis nec temere derogare: illorum etenim nos fides seruat, illorum iustitia ab excidio defendit; Sodoma quoque, si habuisset viros decem, potuisset non perire. » Ratio a priori est, quod justus sint membra reipublicae, eaque nobilissima, quae totam reipublicam sua iustitia quasi velant, imo et suam iustitiam communicant, juxta illud, *Psal.* cxviii, 6: « Particeps ego sum omnium timentium te: » quare Deus toti reipublicae parci, quia videt in ea plures exstare justos: sicut enim membrum participat totius corporis, sic vicissim corpus participat membri bonitatem et sanitatem. Adde quod ait S. Ambrosius in *Psal.* cxviii, oclon. 10, ad illa: *Qui timent te, videbunt nos et letabuntur*, etc. « Plerisque justus aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus vero haec est. Quam pulchram ergo si videaris et prosis? Bonum ergo vir justus. Propterea denique Paulus apostolus ascendit Hierosolimam, ut justos videret; et cum Petro mansit diebus quindecim, ut ex ejus colubatione aliquid proficeret. »

Probat id ipsum similitudine avis quae dicitur *icterus*, eo quod icterico sanet, de qua Plinius *lib.* XXX, cap. xi: « Avis icterus, ait, vocatur a colore, quae si speclatur, sanari id malum tradunt, et avem mori. » Huc alludens S. Ambrosius ait: « Nam si est tanta vis in naturalibus, ut animal visum prosit ictericis, ita ut mortui quoque cornu ejus animantium prodesse dicatur, si fuerit demonstratum iis qui in huiusmodi ind-

demt passionem; dubitare possumus, quod justus sanet aspectus? Ergo vile animal irrationabile tantam virtutem habet, ut sanare possit hominem momento exiguo, quid videtur, homo justus, si tamen cum fide ab eo conspiciatur, qui utilitatem ab eo percipere desiderat, nihil infert? Num vel ipsi oculorum radii virtutem quamdam videntur infundere his qui fideliter eum videre desiderant? Sed quemadmodum justus laetificat cor innocentium cum videtur, ita et improbi justorum cognitione torquentur, quia vel factis sanctorum moribus arguuntur. Torquet castitas incontinentiam, avaritiam liberalitas, impatiens fides. » Et nonnullis interjectis: « Ipse quoque serpens mori dicitur, si fuerit hominis praesentis aspectu. Ergo si tanta virtus vel in oculis serpentis, vel in oculis est hominis, ut si alter alterum prior viderit, possit occidere, non est virtus in oculis justis, qui replent virtutis est gratia, cum praesertim tantam operetur fides, ut et ille quae fimbriam Domini tetigit, sanaretur, et ille, cui intendit Dominus Jesus, statim ex ejus oculis gratiam sanitatis hauriret? Sed qui videt justum, debet scire quid videat, non illum videt in corpore, non in vestimento, non in patrimonio, non in vultu, sed intus videt. Non, inquam, illum videt, nisi ejus viderit mentem, nisi ejus sermonem intenderit, nisi sensus illius potuerit comprehendere, sapientiam de tractatu ejus potuerit assumere. Tunc igitur letabitur, cum ista perspexerit, cum ista cognoverit. Ita ergo et nos scilicet audivimus justum, festinemus videre, sicut illa mulier quae audivit in domo pharisaei dicuntur Dominum Jesum, et ingressa est, et ejus pedes perfudit unguento. Illius imitatores simus: quia Ecclesiae in illa muliere figuram esse quis dubitet? Sicut ergo justus sedeat, sicuti accumbat, festinemus videre eum. Pretiosum est videre virum justum, ut videas eum secundum imaginem Dei. Quod foris est, nihil prodest; quod intus est, sanat. Sane et in eo qui

foris est, illum qui intus est frequenter aspiciamus. » Unde tandem concludit: « *Seatiles* figuram adorant, quia Dei imaginem putant; sed invisibilis Dei imago non in eo quod videtur, sed in eo utique quod non videtur. Vides ergo, quia inter multas Christi imagines ambulamus? Caveamus ne coronam imagini detrahere videamur, quam unicuique Christus imposuit. » Qui ergo justum videt, amat, honorat, imitatur, in eo velut in imagine Christum videt, amat, honorat, imitatur, ideoque ab eo in mente, et saepe in corpore, sanatur ab infirmitate, qua detinetur. Multitudo igitur sapientium, id est justorum virtute praedictorum, praesertim eminentium, qui doctrina vel consilio pollent, ut alios doceant, et regant, vel dirigant, est salus totius orbis.

27. ERGO ACCIPITE DISCIPLINAM PER SERMONES MEOS, ET PRODERIT VOBI, — imo multa et maxima dona, quae recenset capite sequenti, conciliabit. Est misos. Carneades philosophus ita se mirifico doctrinae operibus adixerat, ut cum cibi capiendi causa recubasset, cogitationibus inhaerens, manum ad mensam porrigere oblivisceretur, et Melissa uxor inedia succurrendo officio, dexteram ejus necessarius usibus adaptaret. Cato junior ne in curia quidem dum senatus cogitur, temperare sibi voluit, quo minus graeco libris lectaret; qua quidem industria ostendit alios tempora deesse, alios temporibus superesse. De Varone scribitur, quod in eodem lectulo et spiritus ejus, et egregiorum operum cursus exstinctus est. Cleanthis philosophi tam pertinax fuit dicendi stadium, ut, ne diurno tempore a Chryssippi lectionibus abesset, nocturnum extrahende aquae ad inopiam suam sustentandam impenderet. Haec horum hominum circa humanas disciplinas sequendas industria et diligentia, nostram circa res divinas et animae salutem procurandam, supinam negligentiam et ignaviam, si non vehementer nunc excitat, postea graviter condemnabit.